DE CORPORIBUS ORYZOIDEIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIII. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALFREDUS KOEHLER,
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:
G. LANGMANN, DR. MED.
H. LOHMER, DRD. MED.
H. WESSENDORFF, DR. MED.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

FILIUS.

Corpora oryzoidea, de quibus disserere mihi proposui, in istis tumoribus, quos chirurgi vulgo „ganglia“ nominant, praeter fluidam sive homogeneam materiam, quam plerumque intus habent, non raro reperiuntur. Hujus nostri demum saeculi initio de his corporibus chirurgi ita inquisiverunt, ut accuratiorem originis, structurae, compositionis chemicae cognitionem et quantum pathologice valeant, studiis anatomico-pathologicis laetiora incrementa capientibus debeamus. Priusquam vero in hanc rem altius descendam, de gangliis pauca dicere mihi liceat.

Vocabulo „*γάγγλιον*“ vel prius „*γαγγάλιον*“ antiquissimi jam medici Graeci usi sunt. Celsus [1]) tamen „tubercula ad caput sita, quae fere renituntur“ hoc nomine comprehendi vult. Galenus dicit: „ganglion est nervi collectio praeter naturam, quae in corpore concrevit“; Paulus Aegineta [2]): „ganglion nervi est concretio, ex ictu vel labore proficiscens; plerumque in manus junctura, qua cum brachio

1) Aul. Corn. Cel. Med. lib. VII, cap. VI.

2) *Επιτομῆς βίβλια ἕπτα*, lib. VI, cap. 39.

committitur, talo et articulamentis absolvitur, quamquam in aliis quoque partibus proveniat.“ Laurentius Heisterus [3]) affert: „Cyprianum [4]) dicere, ganglia e lympha ovi sebo aequali oriri, quae in vaginis tendinum secernatur nec unquam ad suppurationem perduci possit“, quo judicio Cyprianus multos sequentes scriptores medicos superarit. Medici enim aetatis mediae omnes Galenum secuti hunc morbum tum sub nomine glandulae, tum lupiae, tum nathae seu nattae intellexerunt. Ipse Faloppia [5]) etiam, qui dicit „inter tubercula est etiam ganglion, quod genus morbi nervos arripit, per nervos autem intelligendo et primarios et secundarios, id est chordas et tendines“, eodem loco „frequentius in capite nec non in pudendo virili oriri tradidit. Ambr. Paré tumores ex ipsa tendinum substantia ortos putavit. Chirurgi saeculi proximi omnino ganglion tumoribus cysticis adnumerarunt et eo modo ab aliis discreverunt, ut prope tendines sedes habere statuerent; sed loquuntur etiam de gangliis in capite existentibus.

Postquam duodevigesimo demum saeculo anatomici vaginas tendinum et bursas mucosas accuratius indagarunt, chirurgi de natura tumorum nostrorum rectius senserunt; tamen omnino hygromata et ganglia inter se parum distincta sunt. J. F. Meckel [6])

---

3) Chirurgie. Nürnberg 1763. S. 998.
4) De foetu e tuba Faloppiana exciso. p. 76.
5) Faloppii opera. Frankofurt. 1600. p. 293.
6) Handbuch der pathol. Anat. Bd. II. Abtlg. II, S. 158.

itemque Chelius[7]) dicunt: ganglia esse cavitates cum parietibus crassioribus prope articulos et vaginas tendinum, quae materiam synoviae similem intus habeant et saepissime revera neoplasmata sint, nonnunquam vero, ut Chelius addit, excavationes partiales vaginarum tendinum. Alii, ut exemplo utar Walther[8]), ganglion hydropem vaginae tendinum esse volunt. Nec nunc chirurgi de genesi et natura gangliorum consentiunt, quum paullatim quinque inter se maxime distantes sententiae, quomodo ganglia oriantur, defensae sint.

Prima sententia, ganglion esse nonnisi hydropem vaginarum tendinum, obsoleta videtur. Hypothesis altera, quam Eller[9]) protulit, vaginam tendinum dirumpi et e ruptura synoviam in telam cellulosam finitimam egredi, propterea probari non potest, quod ganglion contundendo saepe sanamus. Tertia forma est ganglion herniosum, quod ita alii oriri dicunt, ut membrana ganglii dilatata ad modum herniarum excedat. Quarto Gosselin ganglion descripsit, quod e folliculo subsynoviali a tunica synoviali sejuncto oriri arbitratus est. Tales vero folliculi revera non existunt. Quinta denique species gangliorum est istud a Teichmann[10]) descriptum ganglion cysticum, quod e cystide colloidea oriatur et prope articulos sedem habeat.

---

7) Handb. der Chirurgie. Stnttgart 1830. Bd. II, S. 313.

8) System der Chirurgie. Bd. I. 1833. S. 366.

9) Expositions anatom. de l'origine et de la formation du Ganglion. (Histoire de l'Acad. royale des sciences. 1746.)

10) Zur Lehre von den Ganglien. Göttingen 1856.

Quaecumque autem est origo et natura gangliorum, sedem habent praecipue prope manus articulum et in dorso pedis, rarius prope alios articulos. Crescunt tardissime, cutis super iis colore non mutato, nec majorem amplitudinem assequuntur nec dolores excitant, nisi sicuti in vola manus, tendinibus elevatis vel compressis functiones musculorum inhibent. Praeter fluidam istam, quam plerumque in iis inesse supra dixi, synoviae normaliter a vaginis tendinum secretae similem, saepe vero crassiorem vel gelatinosam materiam, non raro in iis praesertim gangliis, quae in vaginis tendinum sub ligamento carpi volari proprio sitis inseruntur corpuscula reperiuntur.

Quamvis dubitari nequeat, quin haec corpuscula a medicis priorum aetatum in gangliis et in hygromatibus inventa sint, veluti Celsus[11]) „maxime in iis, quae renituntur, lapillis quaedam similia reperiuntur“, alii medici veteres de concrementis cartilagineis, quae in tumoribus cysticis invenisse volunt, referunt, tamen Dupuytren primus initio hujus saeculi chirurgorum animos ad neoplasmata haecce advertit. Dupuytren[12]) corpora, quae in cystide quadam ad articulum pedis invenit, parasitas hydatides esse credidit, tum quia omnibus fere aequalis forma et structura perlucide lamellaris esset, tum quia multa cavum cum substantia molliore completum intus haberent, tum propter appendicem non-

11) l. c.

12) Klinisch-chirurgische Vorträge. II. S. 211.

nullis propriam caudae similem, tum quia in suppuratione complures per dies integra manerent, praecipue denique, quia corpora recenter e tumoribus ejecta, quae in aqua tepida excepisset, sua sponte se movere visa essent. Quamobrem Dupuytren tumoribus ejusmodi corpora continentibus nomen dedit „cystes hydatiformes". Hypothesin hancce a Dupuytren propositam Laennec[13]) quoque, quamvis vitae indicium animadvertere non posset, rectam et „acephalocystides planas" habendos esse parasitos censuit; nec minus Hipp. Clocquet[14]), qui corpuscula in corporibus a se dissectis inventa vermes vesiculares esse existimavit. Eandem sententiam Delle Chiaje[15]) et Raspail secuti sunt, quorum alter „acefalisto piano" vocat, alter, quod magna copia coloniae instar reperiri solent corpuscula, animal polypodi simile et quodcunque corpusculum ejus ovum esse judicavit. Cruveilhier[16]), corporum a Dupuytren excisorum inspectione exactius instituta, tunc quaestionem de natura eorum non solvit, postea vero[17]) concretiones anorganicas per secretionem procreatas esse cognovit. Bosc et Duméril maxime elastica esse corpora animadverterunt; oculis armatis inspecta nec moveri ea nec structuram organicam

---

13) Mém. sur les vers vesiculaires im Bulletin de l'École de méd. pour l'an XIII. No. X.

14) Dictionnaire des sciences méd. Tom. XXII. Art. Hydatid. p. 172.

15) Compendio di Elmintografia. Napoli 1825. p. 37.

16) Essai sur l'anat. path. 1816 I. p. 306.

17) Gazette des hôp. 1845. Juillet. Nr. 83.

iis esse cernere potuerunt. Qua ex caussa concretiones albuminosas aut adiposas esse collegerunt.

Plura de theoria a Dupuytren prolata disserere non necessarium mihi videtur, quum non dubitem, quin hanc opinionem historiae tantum causa commemorandam esse omnes recentioris aetatis medici consentiant.

Altera sententia à Bosc primum proposita, corpora oryzoidea esse concretiones liquoris synovialis, ad hoc tempus usque a multis chirurgis probabatur. Plerique inflammatione vaginarum tendinum exsudationem fibrinosam proferri putant, quae coaguletur et comprimendo terendoque inter sese corpuscula ista componat. Nélaton [18]) segmenta pseudomembranae disjuncta esse existimavit. Velpeau [19]) eodem modo, quo Huntero autore mures articulorum oriantur, corpora oryzoidea extravasationibus sanguinis, quarum fibrinum coaguletur, fieri censuit. Singularem quandam hypothesin de origine corporum oryzoideorum Bidder [20]) statuit, hanc fere: hyperaemia vaginarum tendinum nec non bursarum mucosarum cellulas epitheliales dejici et imbibita synovia et crescente membrana cellulosa usque ad amplitudinem, quae sit corporibus istis, augeri. Cui hypothesi imprimis Virchow opposuit, dejectam cellulam, quantum quidem nos de procreatione cellu-

---

18) Gaz. des hôp. 1852. No. 35.
19) Dict. de méd. II. éd. art. poignet. p. 209.
20) Zeitschrift für ration. Med. von Henle und Pfeiffer. III. 1845.

larum epithelialium sciamus, sua sponte crescere non posse. Virchow ipse prius[21]) exsudationem fibrinosam per inflammationem chronicam prolatam intra vaginam tendinum per strata coagulari docuit. Liceat mihi ipsius verbis uti: „Die Körper bestehen aus Faserstoff, der schichtweise, in zum Theil nur lose verbundenen Schichten abgelagert ist; die Schichten müssen aber eine Succession in der Zeit repräsentiren, und man kann daher geradezu schliessen, dass die Körper durch eine successive Gerinnung von Faserstoff aus einer faserstoffhaltigen Flüssigkeit entstehen. Körper dieser Structur und dieser Genesis sind im menschlichen Körper nicht selten; ich nenne sie concentrisch-sphärische Gerinnsel.“ Item jam Jules Clocquet[22]), qui corporum oryzoideorum magnum numerum usque ad mille in vaginis tendinum nec non in bursis mucosis saepissime reperit, fibrino vel cartilagini similia per strata conglobata esse sensit.

Tertio corpora oryzoidea nil nisi excrescentia parietis vaginarum tendinum luxuriantis esse J. F. Meckel[23]) jam posuit, qui simili modo atque concrementa cartilaginea et osteoidea a membranis serosis vel synovialibus proferri arbitratus est. Qua

---

21) Ueber die körperhaltigen Cysten an den Sehnenscheiden der Handwurzel. Med. Zeitung des Vereins für Heilkunde in Preussen. 1846. Nr. 3. p. 10.

22) Note sur les ganglions; in den Archives génér. de méd. 1824. Fevrier. p. 232.

23) Handbuch d. pathol. Anatomie. Leipzig 1818. Bd. II. Abthl. II. p. 215.

sententia multos per annos neglecta Hyrtl [24]) primus corpora, quae in tumore „hydatidoso“ cum bursa mucosa tendinum musculorum flexorum carpi cohaerente reperit, descripsit et e plicis adiposis luxuriantibus oriri docuit Michon [25]) totam membranam exsudatis inflammatoriis irrigatam esse putavit, quibus hac atque illac sua sponte eruptis posteaque rigescentibus plicae villosae efficerentur; si quae a pariete disjungerentur et solutae in cavo versarentur, corpora oryzoidea nominavit. Plurimi nostrae aetatis autores hypertrophia processuum istorum exiguorum membranae synovialis, quae dicuntur plicae adiposae seu villi serosi, corpora oryzoidea proferri probarunt; quod ut documentis affirmem, nonnullorum verba jam adjiciam. Förster [26]), quamvis corpora oryzoidea vulgo corporibus liberis e concrementis fibrinosis compositis adnumeret, at non minus degeneratione plicarum et villorum tunicae synovialis procreari concedit. Bardeleben [27]) aeque ac Gurlt [28]) ita de corporibus oryzoideis disputant: eodem modo quo in capsulis synovialibus articulorum, hypertrophia appendicularum adiposarum, quae si non toties

---

24) Oester. Med. Jahrb. 1842. Bd. XXX. p. 261 sq.

25) Des tumeurs synoviales de la partie inferieure de l'avantbras, de la face palmaire du poignet et de la main. Paris 1851.

26) Handbuch der pathol. Anatomie. 2. Aufl. Leipzig 1863. Thl. II. S 1024.

27) Lehrbuch der Chirurgie und Operationslehre. 4. Ausg. 1864. Bd. II. S. 856.

28) Beiträge zur vergl. pathol. Anat. der Gelenkkrankheiten. 1853. S. 52.

quam in illis, in bursis et vaginis tendinum mucosis inveniantur, corpuscula nostra oriri. Virchow denique[29]) priore sententia neglecta nil nisi excrescentia membranae synovialis similiter ac verrucas in snperficie corporis vel glandulas Pacchioni in membrana arachnoidea procreata corpora oryzoidea esse cognovit. Dicit enim in schola decima „Hygrome, Ganglien" inscripta de specie eorum, quam „hygroma proliferum" vocat: Inflammatione seu bursae mucosae seu vaginae tendinum chronica interdum non ut tota membrana synovialis, ut soleat, sed disjectae modo partes ejus concrescant effici et simili modo atque in tunica vaginali testis corpuscula quaedam cartilaginea proferri. Quae corpuscula sicut tubercula rotunda initio e planitie enata, sensim amplitudine aucta, per pedunculos cum pariete cohaerentia in cavo pendere, tandem pedunculo soluto delabi et mobilia in liquore cavum implente versari. Numero et forma maxime inter se differre; congruere eo dumtaxat, quod e substantia cellulosa per strata conglobata solida quasi cartilago vera constent.

De structura oculis solis microscopio non adhibito perspicienda omnes fere qui inquisiverunt, consentiunt, involucrum perspicuum multis „concentricis" stratis compositum et centrum vel nucleum minus resistentem iis esse. Medio inesse cavum, quod fluida quaedam alii, alii grisea, pellucida, mol-

---

29) Die krankhaften Geschwülste. 1863. Bd. I. S. 194 ff.

liora, friabilia, gelatinae inspissatae similia complecti voluerunt. Involucrum cum lamellis fibrocartilagineis, cum sebo ovillo, cum lente crystallina comparatum est. Propter formam planam ex longo rotundam et colorem pallidum vel subcaeruleum a plerisque medicis cum granis oryzae seu nucleis piri comparata sunt, quamobrem „corpora oryzoidea sive piriformia“ nomen iis datum est.

Quod attinet ad subtiliorem nisi microscopio adhibito non cognoscendam corporum oryzoideorum structuram, Bosc imprimis indagaturus, quanti sit theoria hydatidum a Dupuytren proposita, instrumento paullo tantum multiplicant, quod nos dicimus „Loupe“ usus est. Quo instrumento corpora inter laminas duas vitreas compressa intuitus nec moveri nec structuram organicam habere, ut jam supra diximus, nec aliud nisi membranam perlucidam distinguere potuit. Michon tumorem synovialem, qui in digito medio cadaveris cujusdam a Froment dissecti sedem habuit, descripsit. Cujus paries internus et laevis et fimbriis tectus erat, quarum permultae in corpuscula per pedunculos adhaerentia transibant. Microscopii ope inspectus paries cystidis, quo laevis apparebat, epitheliis scatentem se praebuit, quo fimbriatus, non item. Cellulae epitheliales hac atque illac polyedricae, sine nucleo, vietae conspiciebantur. Reliqua parietis substantia constabat primo ex elementis fibroso-plasticis, quae erant aut nuclei liberi aut cellulae sphaericae et ovatae aut corpuscula fuso similia; secundo e diffusis telae cellulosae fibris;

tertio et ante omnia quidem e massa homogenea non conformata, cui granulationes moleculares erant inspersae. Corpusculis istis fusiformibus integumentum erat fibrosum ut videbatur — nec vero per microscopium fibrae conspiciebantur — et contentum non conformatum cum granulationibus molecularibus.

Germanorum auctorum quinque sunt potissimum, qui subtiliorem corporum oryzoideorum structuram diligentissime examinarunt: Behn, Bidder, Hyrtl, Meckel ab Hemsbach, Virchow.

Behn [30]) integumentum corporum e permultis stratis concentricis facili negotio aliis ab aliis distrahendis compositum esse vidit, quae granulis vel cellulis in parte peripherica confertioribus, minoribus, ad medium versus usque ad quartam vel dimidiam partem corpusculorum sanguinis crescentibus constarent; in centro seu nucleo itidem cellulas majores etiam inesse. Corpora aliquamdiu in spiritu vini recondita multa crystalla radio similia (stabförmige) praebuisse. Corpora a Bidder observata e tumore bursae mucosae praepatellaris deprompta valde elastica se praebebant, persecta omnino conformia, microscopio adhibito nec structura tabulatim disposita nec ullum organisationis signum videri nec nucleus a tegumento discerni potuit. Quamobrem „grumosam“ Bidder corporum substantiam nominavit. Hyrtl in superficie externa corporum e tumore, cujus jam supra mentionem feci, sumtorum cellulas epi-

30) S. Günther, das Handgelenk. Hamburg 1841. S. 121.

theliales polyedricas vidit. Involucrum erat vietum, sinuosum, „compressorio“ magno negotio elidendum, quae intus habebat, pinguia erant, inspissata, minus perlucida, coloris lutei. Nuclei praeter texturam cellulosam non mutatam cystides ovatas massam quandam grumosam et globulos adiposos continentes praebebant. Virchow quod de corporibus nostris in annalibus medicis supra laudatis dixit, ipsius verbis reddere mihi liceat: „Die mikroskopische Untersuchung ergab eine vollkommen gleichmässige, in dünnen Schichten durchsichtige Substanz, die sowohl auf Längs- als Querschnitten kein bestimmt morphologisches Bild gab und nur bei stärkerem Drucke ein grobkörniges Ansehen annahm. An den Rändern erschienen gewöhnlich mehr oder weniger breite, etwas höckerige und varicöse, zuweilen leicht granulirte, sich verästelnde blasse Fasern, die beim Druck und feiner Präparation in immer feinere Fibrillen zerfielen, beim Zusatz von Essigsäure glashell wurden, aber keine Kerne zeigten.“ — Item Meckelii ab Hemsbach, qui accuratissime inquisivit in corpora oryzoidea, quomodo et orirentur et crescerent, ut ipsius verbis utar mihi liceat[31]): „Die jüngste Entwicklungsstufe dieser Körperchen sah ich in den mit serösem oder schleimigem Inhalt gefüllten Beuteln oder Sehnenhygromen als viele feinste, weiche, röthliche Papillen und Zotten der Hygromwand zahlreich in der Kniescheibenkapsel oder in dem Sehnen-

31) Cf. Hartmann, Die freien Körper in den Höhlen der serösen Säcke. Tübingen 1865. S. 67.

hygrom der Hand zerstreut, aus normalem gefässhaltigem Gewebe bestehend, glatt ohne keulenförmige Anschwellung. Wenn diese Zotten die Entartung zu freien Körpern einleiten, so erhalten sie unter merklicher ungleichförmiger und namentlich kolbiger Anschwellung ein schleimiges halbdurchsichtiges Ansehn, mikroskopisch charakterisirt durch Auseinanderdrängung der normalen Zellgewebselemente vermittelst einer structurlosen oder gallertigfaserigen oder graden steiffaserigen, knorpelharten, ziemlich derben Infiltrationssubstanz. In ihr verschwinden allmählich die Zellgewebsfibrillen, weiterhin auch die meisten Reste der Capillargefässhäutchen. Es bleiben zuletzt nur die Reste der atrophischen Bindegewebszellen u. dgl. als spindelförmige Kernfasern, Kernreste, körnige Reihen, welche in einer fast homogenen Grundsubstanz sparsam zerstreut liegen, gelegentlich deutliches Fettzellgewebe, selten hier und da eine Spur von einem Capillargefäss. Durch Essigsäure und Aetzkali wird die Grundsubstanz nicht verändert."

Compositionem chemicam liquoris gangliorum non aliam esse ac gelatinae vaginarum tendinum normaliter secretae jam supra disserui; quae vero sit corporum oryzoideorum, perpauci viri docti adhuc examinarunt. Inter hos Bidder aqua vel aethere sulphurico adjectis non commutari, alcohole corrugari, acido acetico fermentari (aufquellen) et lucem transmittere ea observavit. — De Bockelmann [32]) sub-

32) De Camp, Dissertatio inaug. de arthrolithis et arthremphytis. Gryph. 1843. pag. 14.

stantiam corporum ab Ill. Baum e bursa mucosa quadam manus articulationis remotorum non chondrigeneam esse, acido acetico solvi, e solutione Ferro-Kalio cyanato praecipitari animadvertit. Ante omnes vero hic quoque iterum Virchow auctorem sequi oportet. Aeri exposita corpora, quae chemice Virchow scrutatus est, perbrevi ad laminas tenues, perlucidas, sufflavas collapsa sunt, aqua adjecta paullo post formam priorem receperunt. Nec aqua nec alcohole nec aethere solvebantur. Cum aqua destillata assidue cocta sensim solidescentes et colore luteo tinctae usque ad dimidium complexum comminuebantur, nec quidquam fere solvebatur, quum nec acido tannico nec hydrargyro bichlorato corrosivo nec plumbo acetico aliud quam levissima nubila efficerentur. Acido acetico, ut jam Bidderi observationes docuerunt, fermentabantur et perlucida gelatinosa fiebant et aqua adjecta plane solvebantur, in qua solutione Ferro-Kalio cyanato sedimentum proferebatur. Ammoniacum si corporibus acido acetico fermentatis addebatur, in frigore jam nubilabantur et conglobabantur, magis etiam coquendo. Kali caustico nec non ammoniaco solvebantur, acido hydrochlorato violacea tingebatur solutio.

Enumeratis, quae a Dupuytren usque ad hoc tempus de genesi et structura et compositione chemica corporum oryzoideorum viri docti atque experti

et quaesiverunt et statuerunt, jam aegroti, cui iterum iterumque in clinico nostro chirurgico hac atque illa ratione e variis tendinum vaginis corpora oryzoidea remota sunt, et morbi et curationis historiam ab Ill. Bardeleben comiter mihi concessam adjungam.

Anamnesis.

Carolus Backendorf, mercenarius robusti corporis ac florentis faciei, annum vigesimum octavum agens, nec per puerilem nec per puberem aetatem ullo graviore morbo se affectum esse ait. Ante hos quatuor annos primum in nosocomium universitatis nostrae venit, ut tumoribus et ad manum et ad genu et ad pedem enatis remedium peteret. Reperiebantur tunc tumores tres, primus isque maximus in dorso antibrachii paullo supra manus articulationem, alter ante ligamentum patellare, tertius ante malleolum externum in dorso pedis sinistri, quos omnes non modo cum tendinibus musculorum connexum habere, sed etiam corpuscula aliena intus habere e symptomatibus facile cognoscebatur. Qua de re, praesertim quum aegrotus urgeret, ut tumore saltem in antibrachio sito, quippe qui usum manus inhiberet, liberaretur, sine mora operatio ab Ill. Bardeleben instituta est. Incisionibus tribus in tumorem maximum cum tendinum extensoriorum digitorum vaginis communicantem factis, vehementer, quemadmodum aquae e fontana saliunt, corpora oryzoidea ejaculabantur. Post operationem pus effundeba-

tur e vulneribus. — Simul e ceteris tumoribus, quorum mentionem feci, ad genu et ad pedem si non eadem, magna tamen copia corporum oryzoideorum removebatur.

Status praesens.

Postquam per quatuor annos non erat, quod de valetudine quereretur ille Backendorf, inde a diebus Pentecostalibus a. LXIV h. s. duo tumores, alter in pede sinistro alter prope ad genu dextrum caussa plane ignota enasci inceperunt, qui principio quidem exigui magis magisque sine dolore increverunt, ita ut aegrotus, utpote cujus animus felici prioris operationis exitu confirmatus esset, eodem atque antea modo se sanari toto animo desideraret. Quo consilio quum Calendis Novembribus ejusdem anni in nosocomium rediisset, perscrutatio protinus instituta hocce demonstravit. In pede sinistro post malleolum externum versus tendinem musculi peronei brevis tumor erat renitens elasticus, qui, quum membrum movebatur, manum tangentem crepitationem plane sentire patiebatur. Nec compressio nec motus dolorem excitabant. Ejusmodi tumor infra genu dextrum in latere anteriori interiori cruris tendini musculi sartorii adhaerentem se praebebat. Denique in antibrachio sinistro tumor minimus quidem in conspectum veniebat.

Propter crepitum corporibus oryzoideis proprium, qui et manu tumoribus imposita sentiebatur et per stethoscopium audiebatur, quin corpuscula ista in iis inessent dubitari non potuit.

Therapia.

Postridie quum aegrotus chloroformio torpefactus est, tumor post malleolum externum incisione subcutanea per tenotomum Dieffenbachii apertus et permagna copia corporum oryzoideorum remota est. Quia omnia, quae habebat corpora ganglion, ejici non poterant, vaginam quoque tendinis musculi peronei longi affectam esse conclusum est. Cujus vero vaginae incisio in aliud tempus dilata est. Vulneri exiguo emplastrum anglicum et insuper linteola carpta imposita sunt, articulo fascia circumvoluta. Fomentationes frigidae. Deinde ganglion quoque infra genu situm incisione subcutanea apertum est, e quo corporum oryzoideorum non eadem copia, sed majora sunt deprompta.

Tumor minor in antibrachio, quum aegroto incommodumnon afferret, curationi non subjectus est.

Nov. V. Vinctura soluta et vulnus per primam intentionem sanatum nec inflammationis signa adesse videbantur.

Nov. XVII. Ganglia iterata exsudatione renitebantur et corpora oryzoidea manu imposita cre-

pitu animadvertebantur. Incisio subcutanea eadem ratione qua antea facta, copia corporum oryzoideorum minor. Fomentationes frigidae iterum impositae.

Nov. XXII. Iterum exsudatio in vaginis tendinum restituta est, nec vero corpora oryzoidea sentiri potuerunt. Tinctura Jodi penicillo illita. Fascia comprimens.

Dec. VI. Quum exsudatio deminuta videretur, aegrotus dimissus est e nosocomio.

Corpora e vaginis tendinum hujus aegroti ejecta summo jure corporibus, quibus nomen est oryzoidea, adnumeranda esse luce clarius apparuit. Omnia enim signa, quae corporibus istis propria esse docti autores dicunt, in iis reperta sunt. Corpuscula e ganglio prope malleolum externum remota permulta, ad quingenta fere, omnino paullo minora seminibus oryzae fuerunt; corpusculorum e ganglio infra genu modo non eadem fuit copia, sed magnitudinem seminum oryzae adaequarunt, fere superarunt. Fuerunt albida, splendida, ex longo rotunda, compressa, elastica, nonnulla caudata. — Exsiccata et spiritu indurata varia se habere Exp. Hertz microscopio adhibito cognovit, qui quid viderit paucis enarrabo.

Alia corpora, de quibus qaesivit, constabant e massa structurae plane experte, in qua cellulas inesse

non animadvertebatur. In parte peripherica striae quaedam, in parte centrali non striae, sed hac atque illac globulorum adiposorum acervuli dispersi videbantur. In aliis corporibus nuclei fuso similes et cellulae, quibus erat circumdata substantia in centro homogenea mollis, in peripheria vero striata texturae mucosae aequalis cernebantur.

Chemice corpora examinata non sunt.

Itaque, postquam opiniones tam varias et inter se parum consentaneas, quae de corporibus oryzoideis pervulgatae sunt, exposui narravique casum istum, quem ipse observavi, nunc de eorum natura quid mihi judicandum videatur, dicere ausim. Multum vero abest, ut, qui caream et scientia theoretica ad judicium gravius necessaria et experientia permultis demum observationibus acquirenda, iis quae afferam inesse velim hanc vim, quae discernat inter dubitationes illas.

Nunc inter omnes constare puto, corpora, quae nominantur oryzoidea, in vaginis tendinum nec non in bursis mucosis inflammatione membranae serosae chronica effici. Id quod et ex signis, quae neoplasmata ista inesse in ganglio aliquo notant, et densatione callosa membranae et effluvio seroso cognosci potest. Quae est vis irritationis ejusmodi inflammationem excitantis, ea certa est series profecta a simplici serosa secretione usque ad procreationem novarum

conformationum, quarum finis ipsum pus putandum est. Cui ordini horum inter se distantium „processuum irritativorum“, ut Virchowii verbis utar, conformatio illorum corpusculorum adnumeranda est? Simul cum processu secretorio, qui serosa exsudatione corpuscula ambiente cernitur, processus quoque formativus, quo e pariete haec corpuscula exeunt, exstat. Si res ita se habet, hypertrophia, quae parietis inflammatoria affectione efficitur, potissimum conspicitur in villis serosis corpusculorum oryzoideorum figuram quodammodo praeformantibus. Nec tamen negamus fieri posse, ut ceterae membranae serosae partes villis non tectae ejusmodi corpuscula progignant. Quae textura luxurians est aut fibrosa tela cellulis intertexta aut cartilaginea excrescentia, quae non solum in membranis articulorum synovialibus, sed etiam in vaginarum tendinum et bursarum mucosarum inveniuntur. Quid? quod in normalibus harum membranarum villis cellulae cartilagineae reperiuntur! Qui villi hypertrophici et degenerati quum continuo crescant obdurescantque, haud dubie pondere ingravescunt; qui fit, ut pedunculum, quo cum pariete conjunguntur, detrahant. Quodsi superficies eorum dilatatur, contritio vicinorum corpusculorum augetur. Itaque non modo pedunculus producitur et contorquetur, verum etiam, Virchow auctore, evenit, ut duo vicini pedunculi inter se implicentur. Fit igitur, ut corpusculum detorqueatur et dirumpatur, nullo vinculo suspensum tandem in cavum serosae membranae incidat. Reliquiae autem pedunculi et in cor-

pusculis et in pariete viescunt. Jam mature, corpusculo nondum detorto, texturae degeneratio incipit. Caussa est nutritio deminuta, quam eodem tempore e pedunculi extenuatione aliqua parte sequi arbitror. Interrogantes, qualis sit haec degeneratio, praesertim dissertationem Hartmanni supra laudatam secuti persuasum habemus, illud degenerationis genus corpuscula adire, quod Luschka „chondroide Entartung" vocat, „knorpelige Sklerose und Stratificirung des Bindegewebes" Virchow. Quam degenerationem a partibus periphericis ad medium progredi, confirmant et quae Hyrtl nec non Meckel ab Hemsbach docuerunt, et quae e corpusculis in nosocomio nostro excisis et per microscopium ab Exp. Hertz inspectis collecta sunt.

Qui viri in medio corpusculorum et texturam cellulosam non mutatam et globulos adiposos, quos normaliter villi serosi complectuntur, invenerunt. Constat haec degeneratio chondroidea, quam „metamorphosibus regressivis" adnumerandam esse Hartmann dicit, eo, quod tela cellulosa, elementis formatis deletis, in massam substantiae intercellulari cartilaginis similem et concentrice, tabulatim, lamellose dispositam commutatur.

Loci in quibus saepissime inveniuntur corpora oryzoidea, inter bursas mucosas sunt patellaris et cubitalis, rarius bursae sub musculis glutaeo maximo et subscapulari, rarissime ad manum aut pedem sitae. Inter vaginas tendinum longe saepissime corporibus

complentur musculorum flexorum digitorum, quae in vola manus sub ligamentum carpi volare pertendunt; nec non in aliis aliisque corporis locis corpora in vaginis tendinum proferri ex historia aegroti supra enarrata apparet, cui ganglia corpora ista continentia et ad manum et ad genu et ad pedem eodem tempore enata erant. Effluvium serosum praeter corpora in gangliis alias permultum, alias adeo exiguum exstat, ut vixdum superficies membranae synovialis atque corporum lubrica servetur. Solet quo plus corpusculorum, eo minus effluvii serosi inesse in gangliis.

Caussas, quae efficiunt corpora oryzoidea, non alias cognitas habemus atque eas quae ganglia efficinnt. Insultationes continuae aut saepius iteratae, labor ingens, vis externa, ut ictus, contusio, luxatio etcetera; saepissime vero caussae incognitae. Tardissime crescere solent tumores. Postquam perdiu, per menses complures nonnunquam, dolore majore minore artus affectus est, oriuntur saepe ganglia subito, saltem celeriter, augentur plerumque ad magnitudinem quandam certam, tum stationaria manent, iterum increscunt et decrescunt periodice quodammodo, dum, plerumque compluribus demum annis post, usum membri inhibent.

Magni momenti omnino non sunt ganglia corpora oryzoidea continentia, quum nec dolores excitent nec ullum periculum afferant, quamdiu non nimis tumuerunt. Simulatque vero adeo increverunt, ut

motum et usum membri prohibeant, operatione sunt removenda. Quae vero rationes curandi operativae sint commendatae quaeve inter eas praeferenda sit, non ad id quod disserere mihi proposui, pertinere mihi videtur.

VITA.

Natus sum Alfredus Koehler, fidei addictus evangelicae, in oppido Pommeraniae Grimmen Calendis Sextilibus a. h. s. XLI, patre Joanne Carolo, matre Alwina e gente Otte, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis a Dabis, nunc sacerdotium pagi Zudar in Rugia gerente imbutus sum, cui optime de me merito summas gratias ago semperque habebo. Deinde Paedagogium Putbusiense per annos septem frequentavi. Paschali tempore a. h. s. LIX testimonium maturitatis adeptus per quinque semestria Gryphiae, Erlangae, Berolini jurisprudentiae studio operam dedi. Quam disciplinam postquam deserui, Gryphiam reversus auctumno anni LXI a Rectore Magnifico Ill. Baumstark in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Budge Decanum maxime spectabilem medicorum ordinis nomen rite professus sum.

Per semestria octo hisce interfui scholis:

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia; de embryologia; de physiologia experimentali; de physiologia organorum sensuum; de ana-

tomia nervorum capitis. Idem dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi nec non in exercitationibus microscopico-physiologicis.

Ill. Muenter: de zoologia; de botanice. Dux fuit idem in excursionibus botanicis.

Ill. Huenefeld: de mineralogia.

Ill. Baier: de psychologia et anthropologia.

Ill. Schultze: de anatomia et physiologia comparata; de osteologia, chondrologia, angiologia, neurologia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica et organica; de selectis chemiae capitibus. Dux mihi fuit in exercitationibus analyticis.

Ill. de Feilitzsch: de physice.

Ill. Laurer: de materia medica generali et speciali; de arte fascias rite alligandi.

Cel. Schwanert: de chemia pharmaceutica; de chemia theoretica.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali; de morbis systematis nervorum; de percussione et auscultatione.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; dux mihi fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis nec non in diagnosi oculi morborum.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica; de pathologia generali; de morbis organorum uro-genitalium; de hominis parasitis. Dux mihi fuit in cursu anatomiae et physiologiae pathologicae.

Ill. Bardeleben: de chirurgia; de akiurgia; de herniis;

de morbis chirurgicis thoracis. Idem dux mihi fuit in operationibus in cadavere institntis.

Ill. Pernice: de arte obstetricia; de morbis mulierum; de morbis neonatorum.

Exp. Heineke: de fracturis et luxationibus, de syphilide et morbis cutis; de anatomia chirurgica.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medica.

Ill. Mosler: de morbis renum; de psychiatrice.

In clinico medico et psychiatrico duces habui: Ill. Ruehle, Ill. Mosler; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico: Ill. Bardeleben; in clinico obstetricio: Ill. Pernice.

Quibus omnibus viris maxime de me meritis summas gratias agere me juvat.

THESES.

I.

Inter diversissimas, quae ad tollendum ganglion propositae atque adhibitae sunt, methodos operativas maxime probanda est incisio subcutanea.

II.

Fomentationes frigidae optimum remedium antiphlogisticum etiam in inflammationibus organorum internorum.

III.

In metrorrhagiis parturientium e placenta praevia ut plurimum foetus extractio optimum est adminiculum.